



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXV. Meritò confundi debent omnes superbi, dum Christum crucifixum intuentur, & vel per transennam considerant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Chrysoftomus: *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amor, venit enim Filius hominis, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

Ex hoc verbo adhuc aliud morale documentum possumus eruere: Hic discendum est, ait devotissimus Lanspergius, ita à nobis esse vi-  
vendum, ut in ultima hora vitæ nostræ securi, atque cum gaudio con-  
scientiæ dicere possimus: Consummatum est, hoc est, quidquid me  
Deus agere, patrique voluit, finem habet, omnia perfecit, omnia tole-  
rari, nihil mihi superest aliud, quàm ut egrediar ad Dominum Deum  
meum, à quo coronam vitæ recipiam. Hoc Paulus audebat dicere:  
*Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo* 2. Timoth.  
*reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Ju. 4. 7.*  
*dex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. O felix*  
consummatio! hanc mihi & tibi animitus exopto,  
charissime Lector.



## CONSIDERATIO LXXV.

Meritò confundi debent omnes superbi,  
dum Christum crucifixum intuentur, ac  
considerant.

*Vidimus eum, & non erat aspectus: unde nec reputa-  
vimus eum. Isa. 53. 2.*

I.

**R**ebecca, de qua Scriptura: *Puella decor animis, virgoque pulcherrima, nunc desponsata Isaaco, ubi hunc sponsum suum in habitu vili in agro, die jam inclinata, deambulantiem & meditantem primâ vice conspicata est, Eliezer servum Abrahami primarium & procuratorem istarum nuptiarum interrogavit: Quis est iste homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Cui respondit Eliezer: Ipse est Dominus meus. Vix hoc audierat Rebecca, sine mora de camelo suo descendit, & se usque ad terram demisit, honoris sponso suo* Gen. 24. 65.

N n 2

fuo

fuo deferendi causâ, pallioque suo se nova nupta contextit: *At illa tollens citò pallium, operuit se.*

Perelegans est hæc figura in Christo & Ecclesia Sponsa sua adimpleta. Anima Christiana! subintrat hic devotissimus Didacus Stella, si videris amantissimum Sponsum tuum JESUM ire peditem, cruce oneratum, & inter latrones ac nefarios homunciones ad Calvarium collem pergentem, ac paulò post in fatali ligno pendentem, ad imitationem Rebeccæ te ipsam operire chlamyde, eò quòd pudere te debeat, videre JESUM Altissimi Filium in summa ignominia, & te in alto hujus mundani honoris camelo adhuc exaltatam ac constitutam: *O quanta humilitas, exclamat S. Bernhardus: Incomprehensibilis Deus vult comprehendi, summus humiliari, potentissimus despici, pulcherrimus deformari, sapientissimus fieri ut jumentum, immortalis mori; & ut compendio absolvam, Deus vult fieri vermiculus; ut te, anima mea, æternùm exaltet; & tu adhuc vis esse superba?*

S. Bernh. tr.  
de Pass. c. 17.

Eccl. 1. 5. 2. Rectè sapientissimus Ecclesiastes: *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur.* Allegoricè Christus sol est, de quo Vates Regius: *A summo cælo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* A summo, inquam, cælo, imò & è sinu Patris egressus est Sol ille mysticus, ubi natus est in mundum; Decidit verò in passione & cruce; rursus ortus est in resurrectione, & in mirabili illa ascensione iterum ad locum suum, atque ad summum cælum reversus est; *nec est qui se abscondat à calore ejus, hoc est ab immensâ ejus charitate, quæ in cruce diffusa est in omnes, pro omnibus enim mortuus est Christus.*

Psal. 18. 7.

2. Cor. 5. 15.

O anima Christiana! quid tu ad ista? A summo cælo egressio ejus, & usque ad crucem descensus ejus? An potuit DEUS & Homo Christus magis ob salutem tuam humiliari? Erubescere Sion! humiliare pulvis & cinis, si effigiem crucifixi Redemptoris tui aspicias. Audi S. Bernhardum: *Diabolus, inquit, per superbiam & cupiditatem dixit; in cælum ascendam: Christus cum humilitate dixit: humiliata est in pulvere anima mea. Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: ero similis Altissimo: Christus per humilitatem factus est obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum: Christus verò per humilitatem ad cælos elevatur. Quem tu nunc vis sequi, anime mi? Resolve te.*

S. Bernh. ser.  
37. de modo  
bene viv.

Gen. 2. 7.

3. Quæres, quare DEUS hominem non ex auro, non ex argento, vel ex alia pretiosiore materia formaverit: *Formavit inquit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem?* Observa: DEUS primò corpus hominis in modum statuæ de limo terræ efformavit, uti plastæ luteos fingunt homines. Et hoc est, ad quod alludit patientissimus Job: *Memento quòd sicut*

Job. 10. 9.

sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me; in quem finem & DEus Jeremiam ad domum figuli misit, ut ibidem contemplaretur suam originem ac matricem, scilicet lutum, & sic disceret humiliare se, & sub potenti manu Dei non exaltari; ideò DEus hominem non ex auro, vel argento, sed ex luto formare voluit. Ex qua materia etiam humanitas Christi à Spiritu Sancto efformata est; unde Eminentissimus Cardinalis Hugo: *Terra fuit Christus in passione: terra in sinum locum tenet, & plus non potuit descendere: nec Christus magis potuit humiliari, quam ut pateretur pro nobis &c.* Unde apud Psalterem ait: Factus sum ut jumentum apud te: Et ego semper tecum.

circ. 18. 2.

Hugo Card. hic.

Psal. 72. 23.

4. Olim crucifixi tum mortui, tum vivi canibus ac aliis belluis in prædam dati sunt, ut patet de S. Blandina crucifixa, de qua Eusebius: *Euseb. 1. 5. c. 1. Blandina, inquit, in ligno suspensa proposita est in prædam & lacerationem seris irruentibus.* Et hoc est, de quo etiam conqueritur apud Vatem Regium crucifixus Dominus: *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Et iterum: *Circumdederunt me vituli multi: Tauri pingues obsederunt me.* Et quinam, dices, hi canes erant, vituli atque tauri, qui crucifixum Jesum in Calvario monte circumdederunt?

Psal. 21. 17.

℞. Le Blanc: Canes erant Judæi ob latratus & accusationes apud Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, ac demum in ipso Golgothæo jugo in mediis tormentis continuò Christum allatantes, illumque seductorem populi, blasphemum & prohibentem tributum dare Cæsari appellentem; proinde dignum esse, ut tali abominando, ut rebellis Cæsari, publicè coram omni populo interimatur supplicio: *Reus est mortis.* Sed & vitulis comparati sunt: *Circumdederunt me vituli multi.* Et cur hoc; ℞. Propter petulantiam, varias gesticulationes, cachinnos, & insultationes in Christum cruci affixum: *Prætereuntes autem blasphembant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vab! qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas. Salva temet ipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.*

Le Blanc hic

Matth. 26. 66

Matth. 27. 39.

Psal. 21. 12.

Addit Vates Jessæus in persona Christi crucifixi: *Tauri pingues obsederunt me.* Et quinam hi tauri pingues? ℞. Idem illustris Interpres: Pontifices, Judæorum principes, Seniores populi, Scribæ & Pharisei meritò in Scriptura vocantur tauri pingues propter superbiam, erant enim similes tauris Annibalis, quibus caput & caudæ fœno accenso ardebant, & sic cœcò impetu in hostes ruebant; ita & illi Ecclesiastici Judæorum cœstro perciti & superbià inflati in Christum patientem ac in ligno pendentem irruerunt: *Similiter & principes sacerdotum illudebant cum scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Ex quibus patet,

Matth. 27. 4.

patet, pientissimum Redemptorem nostrum & hunc crucifixum. lummis, mediis & infimis, à sæcularibus & Ecclesiasticis, à doctis si ve scribis, & indoctis, à senioribus & junioribus ludibrio fuisse habi- tum, in quibus tamen summè erat laudabilis. Hoc fecit superbia eo- rum: *Va homini*, ait S. Antistes Hipponensis, *cujus auriga superbia est, necesse est enim, ut præceps eat.* Ecce anime mi! Si tibi simile quid accide- rit, si propter virtutes & benefacta haberis à superbis & arrogantibus contemptui; Cogita: *Servus non est major Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

S. August. in  
Ep. S. Jo.

Jo. 15. 20.

Luc. 16. 19.

Marc. II. 12.

Matth. 13. 49.

6. Superbia & luxus divitem Epulonem perdidit: *Induebatur pur- purâ & bysso: & epulabatur quotidie splendide.* Et quid tandem in fine? *Mortuus est, & sepultus in inferno.* O quot sunt de facto adhuc tales su- perbi & arrogantes, in quibus nihil invenies præter inania folia. Estu- riit aliquando Christus Dominus, & cum vidisset à longè ficum, ac- cessit ad eam, si quid fortè in illa inveniret, sed *nihil invenit, præter folia.* Sic erit in morte superborum & in consummatione sæculi: Ex- ibunt Angeli, & separabunt eos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium; intellexistis hæc omnia; O superbi, ô arrogantes, *intellexistis hæc omnia?*

Cæterum referunt Annales P. P. Capuc. ad annum Christi 1560. n. 6. de superba & illustri scœmina, quæ novum modum inter vestes in urbem invexit; quæ cum graviter infirmaretur, assiduò in clama- vit: *Damnata sum.* Vocatur confessarius, solatur mœstam, proponens crucifixum. Frustrà omnia. Et ecce dum hæc fiunt, adest in tempore infernalis dæmon, & superbam hanc Furiam in orbem rapit:

Ite superbi: hic locus vester est.

